

EPISTULA LEONINA

XLVIII

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.


HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-XLI INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina.php>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

**EN HABES EPISTULAM LEONINAM DUODEQUINQUAGESIMAM
 (48) !**




**CUM DEUS CALCULAT
ET COGITATIONEM EXERCET,
FIT MUNDUS.**

**GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ
(1646-1716)**

ORATIO NATALICIA CHRISTIANI WULFF

PRAESIDIS GERMANIAE FOEDERALIS



*Christianus Wulff praeses Germaniae foederalis in Castello Bellevue
orationem nataliciam a.2011 habens*

Laetum Natale Domini vobis exopto,

carae concivissae carique concives!

**Hôc die festo natalicio vos omnes saluto: christifideles, qui hodie meminerunt
nativitatis Iesu Christi – et omnes eos, quibus alius est aditus ad hunc diem
festum.**

**Mecum ex hôc castello *Bellevue* salutant mulieres virique, quos uxor mea
egoque hôc anno cognovimus. Qui omnes nobis admirationem moverunt, quia
modo prorsus vario aliis adsunt. Idem mulieres virique eo, quod ultiro – longè
supra modum exspectabilem - alios homines adiuvant, id efficiunt, ut
cohaerentia societatis nostrae salutariter servetur. Plurimum autem rôfert hanc
cohaerentiam nobis relictum iri immutatam.**

**Homines sollicitantur, haud minimê de liberorum suorum rebus futuris: Num
nobis continget, ut discrimin rei publicae obaeratae cohíbeamus? Quid fiet de
nostrâ Europâ, quâ ex decenniis pacem salutemque communem confirmari
experimur?**

**Equidem rebus confido: His mensibus gubernantes et opposentes summâ
acerbitate temporum communiter res decreverunt maximi momenti. Hôc spiritu
communitatis etiam unâ cum amicis nostris in Europâ et in mundo versantes
nobis continget, ut iter faciamus, quo discrimin superemus.**

Multum autem valet hoc: Europa est patria nostra communis et hereditas pretiosa. Qua fit, ut fruamur libertate et iuribus humanis et securitate sociali. Haec omnia in nostrâ Europâ non possunt servari nisi communiter. Qui aliud dicit, ei fortasse per breve tempus applaudatur. At idem fallitur. Nos Germani ipsi, cum iterum iterumque experti simus mutuam necessitudinem Europeam, etiam in futurum hanc necessitudinem fideliter observabimus.

Oportet omnes in terrâ nostrâ possint vivere securi. Hoc valeat ad omnem hominem hîc viventem. Eoque vehementius territi sumus, quod accepimus ab homicidis furore phyletismi obcaecatis per multos annos consulto interfectorum esse homines originis peregrinae. Talia fieri posse in terrâ nostrâ numquam opinati eramus.

Postea convêni interfectorum necessarios. Colloquiis, quae cum iis habui, vehementer commotus sum. Multi narraverunt se non sôlum amisisse hominem dilectum, sed se ipsos subito in suspicionem venisse. Partim etiam amicos et necessarios aditum eorum defugisse.

At in nostrâ terrâ oportet ne ullus locus concedatur odio alienorum et violentiae et extremismo politico.

Debemus hominum sceleratissimê interfectorum necessariis et amicis hominibusque violatis significare curam animi ac dolorem necnon reverentiam nostram.

Nos non sôlum victimarum gratiâ debemus efficere, ut istorum scelerum causae clarê patefiant et auctoribus istorumque adiutoribus nefariis severissimê insistatur.

Nos debemus nobismet omnibus animum vigilem et paratum, quo defendamus nostram democratiam vitamque libertatemque omnium hominum in nostrâ terrâ viventium. Oportet talem animum praestare incipiamus in vitâ nostrâ cottidianâ: A me ipso quoque pendet, qualis valeat affectus animorum in familiâ meâ propriâ, in communitate meâ religiosâ, in tribu urbis meâ, in sodalicio meo. Animus erga alienos apertus iam appareat e rebus parvis – praesertim e rebus, quae demonstrantur parvulis puellis puerisque.

Filius meus trimulus laetatur, cum ei vespere recito librum, qui inscribitur «*Irgendwie anders*» (i.e. aliquo modo alias). Deinde idem beatê obdormit, quia scit bonum esse, quod nos omnes sumus varii. Oportet nos quam maturimê intellegamus, quam stultum et noxiun sit homines e societate seiungere eosdemque minoris facere opinione socordi atque praepropero.

Unâ studeamus efficere societatem apertam. Neque talis societas ullum munus officii reliquum facit hominibus alias mundi partes incolentibus.

Itaque nos hôc vespere etiam cogitamus de iis, qui procul a patriâ studeant, ut homines assequantur pacem et securitatem et condiciones vivendi se dignas, praesertim de nostris militissis atque militibus. Nam iidem pro suâ parte id curant, ut mundus noster fiat melior.

Germania in mundo bene audit. Cum ceteris tum eâ de causâ, quâ paene nullâ in terrâ aliâ homines tam parati sunt ad adiuvandum quam in nostrâ –

quandocumque accident calamitates et infortunia et cum auxilium rogan magnae organisationes auxiliares.

Huius rei causâ mihi peregrê versanti a multis hominibus iterum iterumque gratiae aguntur – quas gratias actas hodie vobiscum omnibus volo communicare. Nam licet gaudeamus de hac terrae nostrae existimatione.

Carae concivissae carique concives, caraे hospitae carique hospites hōc in castello *Bellevue* versantes, Natale Domini est festum pacis et communitatis. Omnis communitas eget tempore. Hoc valet ad consortia et familias et amicitias. Nos omnes unus alteri tempus dedicemus.

Uxor mea egoque vobis exoptamus laetum Natale Domini benedictum et deinde bonum prosperumque annum bis millesimum duodecimum !

RECITATOR



Fabula romanica

A BERNHARDO SCHLINK

theodisce narrata,

a NICOLAO GROSS

**in Latinum sermonem
conversa**


**Hoc opus Latinum
edetur
anni 2012
tempore vernali
in domo editoriâ, quae appellatur**

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

CRABATUS



Fabula romanica

**ab OTFRIDO PREUSSLER
theodisce narrata,**

**a NICOLAO GROSS
in Latinum sermonem
conversa**

**Hoc opus Latinum
edetur
anni 2012
tempore vernali
in domo editoriâ, quae appellatur**

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

DE RAPTORE HOTZENPLOTZIO

FABULA CASPARULI

AB
OTFRIDO PREUSSLER
NARRATA,

A
NICOLAO GROSS
IN LATINUM
CONVERSA



Hoc opus Latinum
edetur
anni 2012
tempore vernali
in domo editoriaâ, quae appellatur

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

NIKOLAUS GROSS

**MODERNES
DEUTSCH-LATEINISCHES
HANDWÖRTERBUCH**



**MODERNUM
LEXICON MANUALE
THEODISCO-LATINUM**

A

NICOLAO GROSS

COMPOSITUM

SENDEN EX OPPIDO BAVARIAE SUEBICAE A. 2011-14



**VERLAG LEO LATINUS
IN DOMO EDITORIA, CUI NOMEN EST
LEO LATINUS**

INCEPTUM LEXICOGRAPHICUM

1. Auctor in animo habet componere MAGNUM LEXICON THEODISCO-LATINUM MODERNUM ET UNIVERSALE.
2. Lexica huius generis usque nunc scripta sunt a Kraft (4.ed. 1843/44), Georges (7.ed. 1882), Güthling (1.ed.1918).
3. Hi lexicographi de verbis antiquis colligendis optime quidem meriti sunt, sed de puritate sermonis nimium sollicitantes notiones recentiores plerumque non Latine reddunt nisi circuitionibus verborum molestis parumque utilibus.
4. Auctores lexicorum vernaculo-neolatinorum, quales sunt Helfer, Egger, del Col, quaedam initia praebent haud inutilia, sed neque quantitas neque qualitas verborum ab iisdem novatorum sufficit.
5. Rationes notionem modernam Latinis verbis reddendi sunt hae, quae sequuntur:
 - 5.1. paraphrasis.
 - 5.2. attributio,
 - 5.3. compositio,
 - 5.4. derivatio,
 - 5.5. relatinizatio,
 - 5.6. usus linguae Graecae,
 - 5.7. usus alias linguae peregrinae,
 - 5.8. imitatio structuralis verbi peregrini.
6. Auctor primo intra spatum trium (3) annorum vult publicare lexicon minus, quod continebit circiter 17.000 vocabula. Eius titulus erit: «MODERNES DEUTSCH-LATEINISCHE HANDWÖRTERBUCH» sive «MODERNUM LEXICON MANUALE THEODISCO-LATINUM».
7. Postea fasciculos publicabit lexici maioris, quod intra spatum quindecim (15) annorum perfectum iri bene sperat. -

NICOLAUS GROSS

VOTA NATALICIA



CARA LECTRIX, CARE LECTOR,



**IN ANNI MMXI
NATALE DOMINI**

LEO LATINUS



OPTIMA QUAEQUE TIBI EXOPTAT.

**HANC EPISTULAM LEONINAM
DUODEQUINQUAGESIMAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

Festi Natalicii die primo, i.e. 25^o m.Dec., a.2011
Nicolaus Groß
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>